

AVCTORITATE 247  
**FRIDERICI II.**

LANDGRAVII HASSORVM 1779, 2.  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

ORATIONEM ADITIALEM

VIRI CLARISSIMI

**LEONHARDI IOHANNIS  
CAROLI IVSTI**

A. M. ET PROF. LITTER. ANTIQV.

A. D. XXVIII. DECEMBRIS AN. CIOIOCLXXIX.

HAB.

INDICIT

**CAROLVS HENRICVS GEISLER**

SER. LANDGR. CONS. REG. PROF. ORD. IVR.

PVBL. FAC. IVRID. ASS. ET ACAD.

H. T. PRORECTOR

---

INSVNT QVAEDAM DE ANTIQVITATIBVS  
IVRIS PVBLICI EX DISCIPLINA BYZANTINA  
REPETENDIS.

---

MARBVGI  
EX OFFICINA BAYRHOFERIA.

AVCTORITATE

FRIDERICI II.

LANDGRAVII HASSORVM

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

ORATIONEM ADITALEM

VIRI CLARISSIMI

LEONHARDI IOHANNIS

CAROLI IVSTI

A. M. ET PROF. LITTE. ANTONY.

A. R. XXVIII. DECEMBRIS. AN. MDCCCXXXII.

HAB.

INDICIT

CAROLVS HENRICVS GEISLER

SEN. LANDGR. CONS. REG. PRON. ORD. IUR.

AVR. FAC. IURID. ASE. ET. ACAD.

M. T. PRORECTOR

INSUNT QUÆSDAM DE ANTIQVITATIBVS  
IURIS PVBLCI EX DISCIPLINA PRÆCANTINA  
REPERTENDIS

MARBURGI

EX OFFICINA BAYNBORERIANÆ

§. I.

ORIGINES IVRIS PVBLICI SÆPIVS  
A BYZANTINIS REPETENDÆ.

**A**ntiquitates iuris publici, quarum cognitione non omnino carere possumus, dum scrutantur, nescio, qui fiat, vt inuerso rerum temporumque omni ordine multi ad Euphratem vsque in Assyriam grassentur, alii ad Getas, Scythas Iazygesque se recipiant, rursus alii inter Padum Tiberimque latitent, pars in Scandinauiam reuertatur, inde alii in Capitularibus nidum sibi constituent, non pauci denique ab incunabulis Germanorum orta omnia perhibeant, tamquam qui nullis aliarum gentium ritibus infecti propriam semper et sinceram tantumque sui similem gentem effecerint. Equidem etsi non nego, pleraque iuris publici nostri capita esse Germanicæ originis, eo vsque tamen ad initia eruenda non relabi soleo, vt proprias v. c. discretasque illas mensas, quibus in sollempnibus inauguro Regi Electores inter epulas adsident, ex TACITO a) repetam, ratus quippe hæc et alia eius generis esse suauia

A 2

fo-

a) de M. G. c. 22.

fomnia, quae nostrae ciuitatis primordia longissime superent. Eadem vero cautione opus etiam est in iis capitibus, quorum origines ab aliis gentibus duci debent. Habet enim vtique ius publicum nostrum multa peregre aduecta, neque ex remotissima tamen aetate, sed quae quoque tempore inter alios vsu obtinuerunt. Vnde facile animaduertitur risum mouere, qui in hac tanta adhuc philosophiae rerumque luce officia aulae Caesareae palatina ex HERODOTO b) deriuent, Scandinauiae suam quouis tempore crepent. Ita potius existimo, Germanos, postquam vnam in ciuitatem coaluerunt commerciumque litterarum aliarumque gentium habere coeperunt, maxime ab eo tempore, quo diuulsi ab imperio Francorum proprium sibi Regem habuere, recenter multum, prout res ferebant, de re publica constituisse, multa etiam retinuisse ex institutis Francorum, quae ipsa multum Romanis, Gothis Langobardisque debent, multa denique suscepisse ab aliis, quorum notitia subinde potiebantur. Notandum hoc imprimis de Byzantinis, soleoque adeo, vbi ad otia amore ac studio ad hos nonnumquam me recipere et quae artis meae capita ex illorum monumentis aut institutis illustrari possint, rescindi animi causa circumspicere. Ludicrum quidem multis et inane videbitur, quod agam, sed suos quisque patimur ma-

b) lib. IV. c. 71.

manes, et cum doctissimi quique viri sua habeant crepundia ac nuper admodum summus quidam homo sine nota aut reprehensione aliqua multa iuris priuati nostri capita ex Tatarorum moribus illustrari posse ostenderit, cur mihi tandem sine auctoritate ac laude homini opprobrio fuerit, animum interdum his deliciis pascere, magnorumque viro- rum, qui dudum ante me idem moliti sunt, studia vicum- que aemulari, praefertim cum suum quoque vsum in ipso rerum actu habere possit, eoque consilio recentium quoque gentium instituta, quae sine illis explicatum saepius non habent, inter se comparari et conferri soleant. Proponam igitur hoc inprimis tempore, quo orationi adituali noui Professoris, qui nuper admodum litteraturae antiquae apud nos contigit, ex more maiorum praeludendum est, eius rei aliquot exempla, non conquisita illa nimis, aut reconditae eruditionis, sed prout inter scribendum quodque animum ex lectione otiantis subibit.

§. II.

INPRIMIS IN INSTITVTIS RITIBVSQVE  
CVRIALIBVS.

Praemonendum tamen videtur, non, quae proprie ad descriptionem imperiumque ciuitatis pertinent, repeti de- bere a Graecis, (haec enim aut a Germanis ipsis orta, aut aliis debentur, vehementerque errauerit, qui v. c. ius

Grae-

Graecum in chartis quibusdam antiquis c) commemoratum Byzantinum dixerit) sed ritus tantum complures, instituta multa aulica et quae plura ad caerimonias referuntur, a Graecis ad nos venisse. Instituto enim Germaniae regno solebant Reges Principesque nostri Francorum exemplo, quo minus Graecis impares aut inferiores adeo crederentur, eorum mores et instituta omnibus amplecti modis, qui cum semper pro vicinia Asiae fastum amarent, cultui imprimis aulae vitaeque dediti fuisse videntur, rati quippe ornamentis quoque et honoribus discernendos, quibus regnandi prouincia contigerit. Neque enim existimandum est cum vulgo, a Turcis demum ortum esse id honorum genus, quo ultra homines fere Principes euehantur, sed, si rem Byzantinam circumspexeris, eandem intelliges fuisse rationem Graecorum, quorum aula inde ab initio turgeret ritibus ac verbis, vt Germanos quoque d) nonnumquam offenderet, et quo magis corrueret imperium, eo cultior, ornatio atque ad maiestatem Principum augendam adparatio effulgeret, sollempni Principum vitio, qui, quo imbecilliores sunt animis opibusque, eo pertinacius has minutias aulicas sectantur et quas sibi deesse intelligunt laudes, ab his quasi adsciscunt.

## §. III.

c) v. c. apud MENKENIVM in Scr. Rerr. Germ. To. I. p. 770. in diplomate de monasterio Portensi, quod post SCHÖETGENIVM in vita Conradi p. 163. explicauerunt imprimis WESTFALIVS in Praef. To. IV.

Mon. Cimbr. p. 82. et SENKENBERGIVS von dem lebh. Gebr. des uralten T. R. p. 49.

d) v. RADEVICVS de Gestis Fridrici I. Imp. lib. I. c. 6. ap. VRSTIS. in Scr. Rerr. Germ. P. I. p. 479.



§. III. **QVOD ILLVSTRATVR PRIMVM CORONATIONE,  
VESTIMENTIS ET ORNAMENTIS IMPERATORVM.**

Itaque vt a coronatione initium faciam, non monebo quidem ipsum interuentum Episcoporum in inauguratione regum Graecum esse. Nam etsi, quantum quidem constat, primus omnium Leo Imperator An. cccclxxvi. ab Anatolio Patriarcha Constantinopolitano e) inauguratus est: Germani tamen id retinuisse potius videntur ex instituto Francorum, Graecos etiam hoc modo imitantium, quam vt ipsi illos ea in re secuti sint. Sed reliqua coronationis nostrae sollempnia quam parum absint a moribus Graecorum, auctor imprimis esse poterit GEORGIVS CODINVS Curopalata f), cuius ego locum lubenter huc transcripserim, nisi fuerit prolixus. Tum dalmaticam, albam et stolam, qua ad inaugurationem indutus incedit Imperator, non ignoro quidem subinde duci a diaconatu, que Principes olim nostri nonnumquam funsi sunt, relatumque adeo in Chronico magno Belgico g) de coronatione Guilelmi Regis: *Monasteriensis et Mindensis Episcopi simul ornauerunt infra sacrarium, sed eundem Leodiensis et Traiectensis Episcopi vestitum*  
orna-

e) v. THEOPHANES in Chronogr. p. 76. Ed. Ven. inter script. rei Byzant.

f) de Officiis magnae ecclesiae et aulae

Constantinopolitanae, c. XVII. p. 120 199. Ed. Par.

g) ap. PISTORIUM in Scr. Rerr. Germ. To. III. p. 268. Ed. rec.

ornamentis leuiticis in modum Diaconi produxerunt ante regale solium. Multo autem mihi probabilius haec omnia deriuantur ab Imperatoribus Byzantinis, quos iisdem indumentis vsos esse ex CONSTANTINO PORPHYROGENETO h) nouimus. Horum enim vestes erant in deliciis, constatque satis ortum inde fuisse ornatum omnem clericorum, postquam illi vestibus palliisque nonnumquam Episcopos Romanos ornauerant. Neque aliter de plerisque clinodiorum regalium iudico, vt quae in vniuersum olim Germanis incognita, sed a Graecis maxime ortum cepisse RITTERO i) in hac historiarum parte iudici inprimis idoneo recte perhibentur. Quapropter, vt reliqua omnia praetermittam, sacram adeo illam lanceam, de qua multum nostra tempestate disceptatum est, ex eodem fonte repetere non dubito. BONIZO quidem SVTRIENSIS k) Henrici IV. temporibus, Otto, inquit, *Ruodolfum Burgundionum Regem bella sibi inferentem vita priuauit et regno, cuius lancea insigne scilicet imperii ante nostras vsque hodie portatur imperiales potestates.* Sed vt illud potius statuum, faciunt maxime auctoritates scriptorum a CANGIO l) collectae, quas repetere nunc non lubet.

## §. IV.

h) in Caerimon. Aul. Byzant. To. I. p. 120.

i) in GVTHRII et GRAEI *allgem. Weltgesch.* To. V. P. I. p. 293.

k) in libro ad amicum ap. OEFELIVM To. II. Scr. Boic. p. 799.

l) potissimum in Gloss. Graec. sub v. ἄλως To. I. col. 476.

## §. IV.

INDE BVLLIS, INSIGNIBVS, ARCHIOFFICIIS  
ALIISQVE HONORIBVS.

Neque etiam hoc loco de bullis aureis, quas contra Benedicinos m) inprimis Hofmannus n), vir illustris harumque rerum velut antistes, a Graecis ortas esse effecit, dicere quidquam placet, sed haec omnia omittere animus est cum ipsa illa aquila bicipite adeo semper Germanis o) sacra, quae cum diu satis ingenia hominum exercuisset ac mira admodum opinionum portenta peperisset, scite tandem ab Hommelio p) ex penetralibus Graecorum protracta in lucem fuit, in qua Cangius q) nondum eam constituere potuerat. Monuerim tantum, quemadmodum aurea bulla inter nos nonniū in causis arduis vsu venit, ita quoque Graecis seruatum, quod ea in re non pretium auri, sed potius momentum causae spectarent. Isaacus quidem Imperator, cum ex carcere ad imperium retractus An. cccciii. foedus cum crucigeris pepigisset, vltro ac sponte formulam eiusmodi bulla r) signauit, cuius aliis in causis valde abstinentes essent. Iam non contenderim quidem plane, archiofficia imperii et quae praeterea inter

B

nos

m) dans le nouveau Traité diplomatique To. IV. p. 19.

n) in den verm. Beobacht. To. II. p. 63. 199.

o) v. N. StaatsC. To. II. p. 26.

p) in Iurispr. numismat. p. 135.

q) ad Ann. Comnen, Alex p. 35.

r) v. VILLE-HARDOUIN de l'Empire de Constantinople sous les Empereurs François I, 9.

nos occurrunt, esse Graecae originis, neque intelligo tamen, cur absurda adeo aliis videatur illa opinio. Certe ab antiquissimis inde temporibus a Graecis celebrantur, et si quid etiam eiusmodi maiores nostri habuere, dubito tamen, an ita descriptis officii cuiusque partibus, quam apud illos a Constantino aliisque Imperatoribus institutum fuisse veteres rerum auctores commemorant. Quidquid putes, nolo haec cum aliis inprimis de osculatione pedum, de qua copiosus exstat libellus ΒΟΗΜΙΙ s) mei, V. A. vehementius vrgere, quam cereos festosue ignes, qui per speciem praecipui honoris Regibus quondam Principibusque t) nostris, etsi his non semper bona cum Regum pace, praelati fuerunt, atque inter nos haut dubie a Graecis accensi sunt, vt quibus *δὶ βαμβελα* et *λαμπάδες* quam saepissime per hanc occasionem cum ipsis gestatoribus aut lampadariis commemorantur, adeo vt ne auctoritatis quidem vllis res confirmanda videatur.

## §. V.

## TVM TOGIS PILEISQVE PRINCIPVM.

Transeo potius ad togas Electorum pellibus Armenicis distinctas, quas a iure reipublicae singularis LVDEWIGIVS u),

vt

s) de pedum deosculatione Imp. Romanis quondam praefita, Lips. 1757.

t) v. DITMARVS MERSEB. in Chron.

lib. II. p. 337. ap. LEIBNITIVM Scr. Brunsv. Tō I.  
n) de formula Ducat. Brandeburgici p. 78. 80.

vt erat eiusmodi opinionum mirus artifex, repeti debere putabat. Ortae enim sunt haut dubie ab archiofficiis, quorum pro dignitate ii, qui his fungebantur, soli quondam hoc pellium genere vsi videntur instituto Graecorum, apud quos pari modo singulis comitum caesareorum classibus suae vestes cum reliquo ornatu praescriptae erant. Intelligi hoc potest ex disputatione prima CANGII ad Joinvillam v) aliisque, quae apud CODINVM w) de vestitu aulicorum reperiuntur. Quae dum intueor, et *causa* illa varii generis, quibus pro suo quisque gradu ac loco in aula caesarea utebatur, mecum confidero, videor mihi reperisse natales pileorum, quibus tum olim, tum hodiernum passim signum aliquod praecipui honoris Principes sibi nostri quaerere consueverunt. In annalibus quidem Colmariensium x) ad An. CIÖCCXCIX. commemoratur *dominus Joannes de Liechtenberg filius fratris venerabilis episcopi argentinensis aduocatus regis Romanorum super terram Alsaciae, filius sororis Rudolphi de Habsburg Romanorum regis, de stirpe Ducum Zeringiae ferens in capite suo pileum ornatum auro, argento, lapidibus pretiosis, valentem plures marcas argenti: et cingulo circumdatus erat, qui ornatu erat auro, argento, lapidibus pretiosis, qui aestimatione hominum marcas valuit XL.* Tum ex rebus Austriacorum satis

B 2

notum

v) ap. PISTORIUM in Amoennitatibus  
hist. iur. To I. p. 11 sqq.  
w) loc. cit. c. IV. p. 50 sqq.

x) ap. VRSTISIUM in Script.  
Rerum German. Part. II. p. 32.

notum est pilei archiducalis insigne, de quo SCHROETERVS y) inprimis copiose differuit, auctum nunc ab AQUILINO IULIO CAESARE, z) canonico regulari capituli Vorauiensis, alio pilei genere, quo Duces Stiriae quondam vsi fuere. Haec enim omnia cum aliis eius generis mores Graecorum redolere videntur, quorum Imperatores illud pilei honestamentum inter suos distribuere solebant fere ad eundem modum, quo in Germania AN. CIÖCCCLVII. Carolus IV. Imp. aa) decreuisse legitur, vt Barnimo Dux *heredes et successores sui Duces Stetiniensium, Pomeranorum, Sclauorum et Cassuborum, qui fuerint pro tempore, ducale biretum gestent et in illo incedant, prout eorum praedecessores gestasse et incessisse haftenus dinoscuntur.*

§. VI.

TANDEM HONORIBVS LEGATORVM, FLOCCIS  
EQVESTRIEVS ET BALDACHINIS.

Hinc non ingrediar quidem iura et honores legatorum, quamuis eorum fere omnium originem a Graecis eorumque moribus, institutis ac regulis repetere possim, sed attingere tantum iuuat floccos (*fiochi*) equinos, de quibus bb) longam esse

y) in dem Oesterr. StaatsR. Abb. III. p. 140 sqq.

z) in der Beschreibung des Herzogthums Steyermark (Graetz 1773. 8.) To. I. p. 176.

aa) ap. SCHOETGEN. et KREYS-  
SIG. in Diplom. et Scr. To. III.

p. 49.

bb) v. MOSERVS in dem Reichs-  
Hofraths-Proc. To. IV. p. 15 199.

esse et multiplicem in re aulica et legationum fabulam satis constat. Horum enim Byzantinam originem satis docet CODINVS cc), qui quidem ea de re sic refert: ἦν δὲ πρότερον μὲν συνήθεια, φορεῖν τὸν τῆ βασιλέως ἵππον ἐν τῇ τοιαύτῃ πανηγύρει περὶ τοῦ τράχηλον καὶ ὄπιθεν τῆς σέλας ἐπάνω τῶν σκαπουλίων, ἅπερ ὀνομαζοῦτο χαιώματα, ἐκ μαργάρων καὶ λίθων συγκείμενα· μικρὸν δ' ἄνωθεν τῶν ἀσπραγάλων περιδιδόμενας μετὰ ζας ἐρυθράς, ἅπερ ὀνομαζοῦνται τούβια· νῦν δὲ τὰ μὲν ἄλλα οὐκ εἰσὶ· τὸ δὲ τῶν τούβιων γίνεται. Vnde cum in aulam pontificiam transfuissent, infecuto dein tempore, vt recte legatus quidam apud MOSERVVM dd) animaduertit, cum aliis eius generis ritibus ad nos peruenerunt. Quo minus mirum cuiquam videbitur, si huc retulerim baldachinos, qui cum ipso suo nomine Babyloniam prodant originem, per Byzantinos maxime in occidentem aulæque Principum nostrorum sat cito propagari coeperunt. Iam enim An. ciccclxxvi. de sepultura Caroli, Rudolfo R. patri praematura morte erepti, in Annalibus Colmariensium ee) notatum reperio fuisse feretrum coopertum nobili baldico, incertusque auctor, qui res Balduini Archiepiscopi Treuirensis scripsit, de coronatione Henrici VII. Italica ff) memoriae prodidit: *Dominus Henricus Rex in S. Ambrosio a Mediolanensi Archiepiscopo una cum sua Regina corona ferrea ad instar lauri*

cc) loc. cit. c. xvii. §. 47. p. 126.

dd) in dem T Hofrecht To, II, in Ad. iunctis p. 98.

ee) ap. VRSTISIVM in Scr. Rer. Germ. P. II. p. 12.

ff) lib. II. c. 10. in REVBERRI vetri Scr., p. 968. Ed. rec.

lauri margaritis pretiosis perornata, de calybe tamen per ipsum Henricum Regem cunctis successoribus facta, eo quod corona Regum antiqua ex negligentia esset amissa, (nam a nullo Regum de tempore Frederici Imperatoris fuerat requisita) gloriosissime existit coronatus, permaximo insidens palefrido, famulis praecedentibus et sequentibus, et in lateribus, tamen a remotis, equitantibus, sub teleo pretiosissimis sametis purpureis et baldekinis facto — suum in palatium — est ingressus. Quod euidenter adhuc ALBERTINVS MVSSATVS gg) his enarrauit verbis: coronati Henricus Caesar Augustaue Margarita anno ab ortu Domini nostri Jesu Christi vndecimo trecentesimo millesimo VIII Idus Ianuarii ferrea corona, quam Lauream appellabant, in equis phaleratis, rubro scarleto cum purpureis tegumentis supra vertices latis se populis exhibuere per urbem, Rege sceptrum manu dextra gestante, videlicet scipionem aureum lilio supra renidente.

\* \* \*

Sed haec in praesenti luisse suffecerit. Commendandus enim nunc est

VIR CLARISSIMVS

**LEONHARDVS IOHANNES CAROLVS IVSTI**

qui cum positus apud nos litterarum rudimentis ex Academia Gottingensi ac praeclara inprimis disciplina HEYNI,

gg) de Gestis Henrici VII, lib. I. c. 12, ap. EVMD. p. 848 sq.

popu-



popularis et amici mei, quem ego tum propter alias complures causas, tum potissimum propter communem praeceptorem ERNESTVM, immortalem virum, summo opere cole, sacris in hac ciuitate peragendis admotus esset, ac dudum sibi studio scientiaque litterarum laudem parasset, nuper admodum a PRINCIPE INDVLGENTISSIMO Professor litteraturae antiquae in hac nostra Academia constitutus fuit. Ratus quippe PRINCEPS, qui, quod in primis Viro est honorificum, sua sponte hoc constituit, posse etiam eum, praeterquam quod ecclesiastico munere fungeretur, litteris prodesse. Quapropter nos, quibus penitus noscitur, cupide eum amplexi sumus, certoque speramus futurum, vt multum ab eo res nostra emolumentum capiat. Lubet autem huius spei confirmandae causa vitam viri verbis ipsius enarrare:

Natus sum Münchusae, Hassiae superioris pago prope Wetteram sito, a. d. V. Decembris CXCCLIII. Patrem habui *Ioannem Adamum Iusti*, qui tum sacerdotioungebatur; matrem autem *Dorotheam Sophiam Balziam*, *Iusti Conradi Balzii*, sacerdotis in pago Fronhusano ditionis Darmstadiensis, filiam. Patre orbatus sum iam altero anno post: sed patris iacturam resituit affectus et cura optimi fratris, qui patri in sacerdotio succedebat. Quocum deinde, cum CXCCLXI. ad munus *Pastoris* obeundum Marburgum vocaretur, eodem secessi. Illud vero tempus erat, quo ingenio meo accuratiori quodam cultu opus esset, quem

quem nunc facilius Marburgi, quam Münchusae, accipere poteram. Traditus primo fui in disciplinam praeceptorum scholae vrbicae, ex qua deinde in Gymnasium illustre, quod Marburgi est, transii. In quo ad humanitatis studia omnem animum appuli et maturitatem quandam ingenii et doctrinae nactus ad academica studia CIOIOCC LXIX me contuli, quae in hac nostra litterarum Vniuersitate auspicatus sum. Animum quidem omnem deflexeram in Theologiae studio, sed ita, vt ad veram Theologiae scientiam per varias, imprimis litteraturae antiquae, disciplinas aditum demum patere existimarem. Audiui igitur in partibus humanitatis variis, imprimis Historia, *Curtium*, in philosophicis et Mathematicis *Waldinum*, VV. CC. Adiunxi, aut potius retinui studium linguarum, imprimis veterum, quorum amore iam a teneris captus eram, eo potissimum consilio, vt iis discendis optima intelligendorum et interpretandorum sacrorum librorum instrumenta mihi pararem, existimans illorum idonea et luculenta cognitione potissimum censerī Theologi personam. Quapropter contuli me potissimum ad *Duyfingium V*, et *Robertum N.* varios libros interpretantes, VV. CC. Ita per quatuor annos in Academia hac nostra, et audiendo doctores publicos, et legendo priuatim scriptores veteres et recentiores optimos, ea, qua par erat, assiduitate, bonis litteris opera a me data, Goettingam, vt studia mea ibi persequerer, me contuli. Et vetus ille litterarum humaniorum amor statim ad *Heynium*, V. C., me ducebat, a quo etiam inter *Seminarii philologici* sodales ipso primo semestri receptus sum. Huius igitur ope optimos veteres graecos et latinos Auctores et ipse in seminario philologico interpretatus sum, et eum in lectionibus suis interpretantem audiui, omni-

noque eius opera praeclara ad recte cognoscendam litteraturam profanam usus sum, lubenterque fateor, me inter praecipua vitae meae beneficia numerare illud, quod mihi contigit, talis tantique viri disciplina ea, qua licebat, ratione publice priuatimque uti. Illud vero, quod in tractandis linguis profanis studium posui, idem etiam addiscendis sacris tribui. Neque satis habui, linguae hebraicae discendae operam nauasse, et audiuisse, qui libros hebraicos interpretarentur, *Michaellem* et *Zachariam*, sed etiam dialectos ceteras linguae orientalis, imprimis syriacam et arabicam cognoscere allaboravi, magistro eodem, quem modo dixi, *Michaelle*. Cum haec facerem, assidueque tractarem libros sacros, (N. T., ut hoc addam, interprete *Zacharia* mature nimis eheu! rebus humanis erepto) accessi ad ipsam Theologiam, quae subtiliter in scholis traditur, in cuius partibus prope omnibus praecceptore usus sum eodem illo *B. Zacharia*. Historiam ecclesiae enarrantem audiui *Walchium*. Philosophiae studium retinui, cum persuasum mihi esset, verum eruditum sine philosophiae accurata cognitione cogitari vix posse. Magistris vero in illa usus sum *Federo* et *Meinersio*. Cum his et aliis studiis, (nihil enim eorum, quae Theologi personam decere et ornare possunt, temere neglexi) per annum et sesquialterum Goettingae operam dedissem, in patriam redii, et locum, qui Marburgi tum inter Concionatores ad aedem Evangelicorum parochialem vacabat, obtinui. Docere in academia Marburgensi, si sacerdotis munus, quod appetebam, consequutus essem, constitueram iam Goettingae apud animum meum, ut nimirum litterarum studio paullo arctius adstringerer, probante hoc consilium *Heynio*, viro summo meique amatissimo, quocum illud communicabam. Ut

C

igitur

igitur ius docendi in academia Marburgensi consequeretur, libellum pro summis in Philosophia honoribus capeffendis publice a. d. XIII Octobr. 1774. ad disceptandum proposui, et sine Praefide defendi. Sequenti statim semestri scholas habere coepi, imprimis in V.T., cuius libros varios sacrarum litterarum studio sis ab hoc tempore interpretatus sum. Haec cum agerem, a. 1777. *Rigam* ad recturam Lycei Caesarei et suspiciendum munus Concionatoris ad aedem S. Iacobi, Assessorisque in Consistorio satis laetis conditionibus euocatus sum, quod Celsissimo Principi meo quidem indicavi, sed spe melioris fortunae olim venturae sustentatus in patria remansi, academiaeque docendo me dicare perrexi. Iam igitur inter haec studia a Serenissimo et Clementissimo Principe nostro Professoris litteraturae antiquae munere ornatus sum. Quod ab optimo Principe collatum in me beneficium quantum sit, probe sentio; ideoque omnibus ingenii mei viribus eo contendam, ut tanto beneficio non indignus reperiar. Scripta, quae edidi, haec sunt:

*Weissagungsgesang Mosi an die Israeliten, 5. Mos. 32. Aus der Urschrift von neuem übersetzt und mit einigen Erläuterungen begleitet. Göttingen 1774.*

*De Bileami ašina loquente ad Num. XXII. Dissertatio inauguralis. Marburgi 1774.*

*Ueber die den Aegyptiern von den Israeliten bei ihrer Abreise abgeforderten Geräthe, 2. Mos. III. XI. XII. Frankfurt am Mayn 1777.*

*Ueber den Genius des Sokrates. Eine historischphilosophische Untersuchung. Leipzig 1779.*

Iam

Iam auspicabitur munus sibi indulgentissime tributum a. d. xxviii. Decembris oratione aditali de *eruditorum seculi XVI. virorum, etiam Hassiacorum, summo antiquarum litterarum studio nostri aevi hominibus imitando*, facietque vota pro salute et incolumitate tum FRIDERICI nostri, Pii, Felicis, Iusti et qui consiliis et opera in republica tuenda cum iuuant, tum etiam nostra reique nostrae. Dicturo igitur vt hora xi. frequentes faueant ILLVSTRISSIMVS COMES, PROCANCEL-LARIVS PERILLVSTRIS, DIVINARVM HVMANARVMQVE RERVM PROFESSORES AMPLISSIMI CVM GENEROSISSIMIS HVMANISSIMISQVE COMMILITONIBVS CETERISQVE LITTERARVM AMICIS, summa et obseruantia et humanitate rogo contendoque. P.P. in Aca-DEMIA MARBVRGICA a. d. xxvi. Decembris An. cidiocclxxix. sub Sigillo Academiae Maiore.

(L.S.)

1848

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

(L. 2)

Calligraphic text on the right edge of the page, likely a library or collection label.



Harburg, 25.5.1773-8

ULB Halle  
005 359 880

3




v. 1773









AVCTORITATE  
**FRIDERICI II.**

247

LANDGRAVII HASSORVM  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

1779, 2.

ORATIONEM ADITIALEM  
VIRI CLARISSIMI

**LEONHARDI IOHANNIS  
CAROLI IVSTI**

A. M. ET PROF. LITTER. ANTIQV.

A. D. XXVIII. DECEMBRIS AN. MDCCCLXXIX.  
HAB.

INDICIT

**CAROLVS HENRICVS GEISLER**

SER. LANDGR. CONS. REG. PROF. ORD. IVR.  
PVBL. FAC. IVRID. ASS. ET ACAD.  
H. T. PRORECTOR

---

INSVNT QVAEDAM DE ANTIQVITATIBVS  
IVRIS PVBLICI EX DISCIPLINA BYZANTINA  
REPETENDIS.

---

MARBVRGI  
EX OFFICINA BAYRHOFERIA.

